formantes æternæ legi, quæ omne prohibet in verbis mendacium, in corde duplicitatem, & in actionibus dolum. Sacer Textus huic ſinceritati plura nomina attribuit, quæ totidem ſunt præclara ejuſdem encomia. Illam modo vocat ſpiritum rectum, quia recta nos adducit ad Deum, & nullam pati poteſt verſutiam; modo ſimplicitatem appellat, quo nomine ipſe etiam Dei filius in Evangelio illam appellat, atque cordis nuncupat ſimplicitatem. Nonnumquam dicitur ſpiritus bonus, quia ex corde procul expellit nequitiam, & fraudem, & aliquando etiam ſpiritus Dei, vel ſpiritus veritatis oppoſitus ſpiritui hujus mundi, qui non aliud eſt quam error, dolus, atque mendacium. Demum magnorum virorum virtus nuncupatur.

Hæc virtus olim fuit primorum fidelium character.

Sinceritas, quæ toties in ſcripturis ſub ſimplicitatis nomine commendatur, erat veluti proprius primorum fidelium character; itaut illi ex verborum ſinceritate, ex fidelitate in promiſſionibus adimplendis, ex ingenii candore, ac bona fide erga eos omnes, qui cum illis agebant, dignoſcerentur, utque hic chriſtianæ religioni ſpiritus eſſe intelligeretur, cum luſtralibus ſacri Baptiſmatis aquis abluebantur, albis induebantur veſtibus in ſignum innocentiæ, quam receperant, & quam ſervare debebant candore, & ſimplicitate morum ſuorum, totiuſque vitæ ſuæ, juxta illa Principis Apoſtolorum verba: *Quaſi modo geniti infantes, ſine dolo lac concupiſcite*. 1. Petr. 2.

De publicitate, dolo fraude.

Ex iis, quæ nuper de ſinceritate, & cordis rectitudine dicta ſunt, facile eſt oppoſitorum vitiorum naturam cognoſcere, videlicet duplicitatis, verſutiæ, fraudis aliorumque id genus vitiorum, quæ nomine tenus differunt, & quæ ut plurimum, conjuncta ſunt. Principium ex quo fluunt, in Bibliis vocatur modo ſpiritus duplex, modo ſpiritus mendacii, & modo ſpiritus mundi, propterea quod opponitur ſpiritui Jeſu Chriſti, qui veritas eſt, & ſpiritui Evangelii, qui eſt ſimplicitas.

De mendacio ſingillatim.

In mendacio nonnihil peculiare invenitur, quod ut S. Auguſtinus, & poſt hunc S. Thomas docent, in eo poſitum eſt, quod aliquid contra mentem dicatur, ut pro vero habeatur, quamvis falſum ſit, aut tale exiſtimetur. Quod ſi quis falſum dicit verum putans, hic, Doctores ajunt, materiale tantum mendacium facit: quamobrem ſtatuunt aliquod diſcrimen inter mentiri & dicere mendacium; quia illud eſt aliquid contra mentem, & cogitationem aſſerere, hoc vero non item.

Variæ mendacii ſpecies.

Doctores iidem vulgo tria mendacii genera diſtinguunt; primum per jocum, ac voluptatem dicitur; alterum dicitur officioſum, quod nocet nemini, & immo prodeſſe poteſt illi, in cujus gratiam profertur; tertium vocatur pernicioſum, quod ſemper eſt cum proximi detrimento conjunctum. Cuncta hæc vere peccata ſunt; ſed priora duo a S. Auguſtino levibus criminibus accenſentur; tertium vero ſuapte natura mortale eſt; quia unicus ſufficientis cognitionis defectus, vel damni, quod infertur, levitas, efficere poſſunt, ne tale habeatur.

Ironia, aliæque loquendi rationes mendacia vocari non poſſunt.

Ironia, aliæque loquendi figuræ mendacia nequeunt exiſtimari; quamvis aliud ſignificent, quam quod verba in propria ſignificatione deſumpta deſignent; etenim qui eas profert, tono vocis, vel verborum ambitu ſatis oſtendit, quid velit innuere, & quid ad aliis ſit intelligendum. Hoc ipſum dicendum eſt de officioſis verbis, per quæ aliis teſtamur, quo in pretio illos habeamus; qui enim illa audit, ſcire debet, quid ſignificent, & qui profert illa, ſemper in pretio habere tenetur proximum ſuum, atque id palam teſtari, ubi officium, vel urbanitas poſtulat; & cum hoc ex urbanitate fit, ſine adulatione, & immodica exaggeratione, mendacii nomine inſimulari non poteſt.

Mendacium quacumque ex cauſa fiat, numquam licere poteſt.

Nobis debet eſſe perſuaſum tamquam de certiſſima veritate, cum mendacium ſuapte natura ſit malum, numquam quacumque ex cauſa licere poſſe: quamvis id fieret ut alicujus honeſtati, aut vitæ conſuleretur; & ex vitiorum ſentina erueretur; verbo ut mundi totius ſaluti proſpiceretur, quæ res omnes aufert excuſationes, omneſque prætextus, qui poſſent afferri, qualis eſſet bona intentio, vel finis, quem ſibi mentiendo aliquis poteſt proponere. Verum eſt, S. Auguſtinus inquit, cauſam, finem, ac intentionem plurimum ad actionum noſtrarum merita, vel demerita conferre; ſed quæ ex ſeipſis mala ſunt, numquam bona eſſe poſſunt, quacumque cauſa, fine, ac intentione fiant. Quod ſi in Scripturis videmus mortales aliquot laudibus celebrari, eo quod mendacio, vel aſtu uſi ſunt, veluti Ægyptias obſtetrices, quæ ſimulatione, & mendacio maribus Iſraelitarum filiis vitam ſervarunt, S. Auguſtinus reſpondet, non laudari mendacium, ſed miſerationem, & horrorem, quo deteſtatæ ſunt impium facinus, quod juſſæ fuerant perpetrare. His addi poteſt, ignorantiam, infirmitatem, ipſam etiam pietatem, vel aliam quamlibet virtutem impellere nonnumquam poſſe hominem, ut mentiatur, & contra mentem loquatur; ſed tunc virtus non amplius eſt virtus, quia fertur contra objectum ſuum, quod ſemper aliquod bonum eſt; & quamvis hoc in caſu peccata paſſim venialia tantummodo ſint, ſunt nihilominus vera peccata, & quatenus talia prohibentur; & quemadmodum ſcite S. Auguſtinus animadvertit, homo bonus non eſt, quia minus eſt nequam, quam alter.

Ut nihil prætermittamus eorum, quæ Doctores hac in re tradunt; plurimum diſcriminis intereſt, inquiunt illi, inter proferre mendacium, ac tacere veritatem: mentiri enim numquam fas eſt: ſed Chriſtiana prudentia ſæpe tacere, & veritatem celare jubet, non enim deſunt occaſiones, in quibus, ſi detegeretur, proximo graviſſimum inferretur præjudicium: hæc eſt S. Auguſtini doctrina. Aliud eſt, inquit, veritatem abſcondere, aliud loqui contra veritatem; alterum peccatum eſt, alterum effectus prudentiæ, atque ſapientiæ. Sæpe de iis rebus interrogari potes, quas dicere minime potes, quin rebus tuis detrimentum afferas, quin tibi dedecus, vel aliis contumeliam inferas, quin ſcandalum parias, vel excites contentiones. Deus hæc tacere te jubet: at quomodo? Si qui te interrogant, jus non habent cogendi, ut id aperias, quod tua intereſt celare, & ſi tuum ſilentium fidem poteſt adſtruere, quod veritatem ſcias, ſed illam vel minime velis, vel nequeas fateri; profecto verum non dicis, ſed neque falſum affirmas. Verum inter hæc extrema quid conſilii capiendum? Hoc. Non prohibet Deus, te iis uti verbis, quæ duo ſignificant, ſi illis uti velis eo in ſenſu, in quo iiſdem tibi uti permittit; non autem ut aperias id, quod te jubet abſcondere, ut vel proximi tui, vel tuo honori proſpicias. Verum dices, quamvis non intelligatur ab illis, qui te interrogant; re ipſa loqueris ſecundum mentem tuam, quamvis comperta non ſit: & ſine reſtrictione, quæ mere mentalis ſit, teges veritatem, quam illi percontari ex te non debebant, & quam Deus, te illis dicere prohibet.

Præcautio hac in re neceſſaria.

Quemadmodum hæc doctrina nequaquam difficultate care, & a nonnullis in dubium accerſitur, ita duæ iſtæ regulæ ſervandæ ſunt. Prima eſt, ſi te Judex interroget veritatem citra æquivocum affirmare teneris, quin iis utaris vocibus, quæ locum præbere poſſunt rem alio in ſenſu intelligendi ab eo, qui tibi in animo verſatur, & quin arbitreris, te a legibus diſpenſari, ne veritate dicas ea in occaſione, de qua agitur, exempli gratia, te ipſum accuſandi. Altera: quamquam S. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 4. fatetur, & declarat quibuſdam in occaſionibus fas eſſe aliquibus uti locutionibus veritatem involventibus, & quamquam in eadem ſententia ſit S. Auguſtini *c.* 11. *contra mendacium*; non licet tamen paſſim hac loquendi ratione uti; quia ambiguarum vocum uſus eoſdem produceret effectus, ac mendacium; nobiſque hominum fidei carentium famam conflaret, ac publicam everteret ſecuritatem. Verbo hæ loquendi rationes æque ferme crimino'e fierent, ac mendacium, quia eadem gignerent mala.

De falſo teſtimonio.

Cum falſum teſtimonium ſimul ſit, & contra veritatem, & contra juſtitiam, necnon contra bonam fidem, in humana ſocietate ſervandam, liquido conſtat hac in re nullum majus committi poſſe peccatum; ideoque peculiariter etiam prohibetur. *Non falſum teſtimonium dices*. Peccatum hoc, ex D. Thoma, tria complectitur, quæ uno tantum actu patrantur; videlicet mendacium, perjurium, & injuſtitiam; verum cum hæc ſit fraus publicæ ſecuritati maxime pernicioſa; humanæ leges numquam nimia uti poſſunt ſeveritate, ut in illam animadvertant, ejuſque praviſſimos effectus cohibeant.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Honeſtus homo numquam ſimulare, vel fallere debet.

QUamvis honeſti viri aliis placendi ſtudium ſummum eſſe deceat, non decet tamen, hoc illum conſilii capere, ut ſimulare, fallere, mentiri audeat; quippe nihil magis adverſatur honeſti hominis charactéri, quam nequitia ſinceritatis integumento abſcondita, vel ſimplicitas verſutorum ingeniorum, quæ ſimulationibus ſeſe tegunt, & involvunt. Apage has artes, dolos, malas ambages, fraudes, omneſque ſimulationes, quæ adhibentur, ut per fas & nefas propoſitum ſibi finem homines aſſequantur. Neceſſe eſt, honeſtum virum earum rerum omnium, quas pollicetur, præſtare fidem, atque præſeferre integerrimam æquitatem

tatem, bonæ fidei innixam, & non imitari illum copiarum Ducem, qui dierum triginta pactus inducias, noctu hoſtiles agros depopulabatur, dicens, in induciis nihil cautum fuiſſe de noctibus. *Ex collectione Orationum, Gallicæ Accademiæ oblatarum anno* 1703.

Humanum cor artibus ſcatet, ac ſexcentis habet ſinus & latebras.

Cor hominis abyſſus eſt, cujus penetrari tenebræ nequeunt; mare eſt, cujus imum inveniri non poteſt; novi orbis ſpecies eſt adhuc detegendi; labyrinthus eſt, ubi viæ omnes invicem implicantur, & confunduntur, & ubi qui longius procedit, magis errore viarum decipitur, quin illinc expedire ſe valeat. Cæcus eſt, in errorem inducens perſpicaciſſimum quemlibet, qui ſequitur illum; præſtigiator eſt, qui ea videnda exhibet, quæ non ſunt, qui decipit, qui fallit, qui eorum etiam oculis illudit, qui attentius oculorum aciem in illos intendunt, quin ne ſentiant quidem. *Ex paraphraſi quadam apologetici Tertulliani*.

Deus ſimplices eligit, quibus rectum eſt cor, præ ſuperbis animabus meritorum ſuorum idea tumidis, illos contemnentibus, qui in Dei viis ambulant, qui religioſius præceptis ejus obediunt, & quos non pravi ſermones, non irriſiones, non impiorum probra a via virtutis detorquent. His ſe communicat Deus. *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Abbas de Bellegarde in proverbia Salomonis*.

Facilius eſt ab amico, quam ab inimico decipi.

Fallax amicus amicum verbis ſuis fallit. Difficilius eſt ab inimico decipi: ab hoc enim nobiſmetipſi cavemus; blanditiæ illius apud nos ſuſpicione non vacant. Verbis illius non addimus fidem, atque nullam prætermittimus ſedulitatem, ut illius dolos, arteſque eludamus; ſed quomodo nobis cavere poſſumus ab eo, qui neceſſarius eſt, & quo utitur familiariter? qui blandientis os, habitumque gerens ſeipſum, & opellam ſuam tibi mancipat, ac jurejurando pollicetur ſe pro te vitam ipſam in diſcrimen quodcumque adducturum? Laqueus hic ſubdolus eſt, ac in illum facile impingimus. *Idem*.

Homines veritatem neque dicere neque audire volunt cum de ſuis defectibus agitur.

Veritatem videre nolumus, cum aliqua opus eſt cura, atque vigilantia; ut illam inveniamus; ſed non deſunt occaſiones, in quibus illa noſmetipſos convenit, & in quibus illam adſpicere cogeremur, niſi multa ad illam evitandam arte uteremur. Non enim deſunt nonnumquam homines tanta præditi charitate, qui nos ex errore, & illuſione, in qua verſamur, conentur eruere; ſed amor proprius nihil intentatum, nihilque inauſum relinquit, ut tantum avertat incommodum; neque iis caret artibus, quarum ope voti reus fieri poſſit, quoniam illis, qui præclarum hoc ſibi præſtare conantur officium, tantum dolorem teſtatur, tantumque odium; tot prætextus excogitat, ne credat ea, quæ de ſuis ſibi defectibus narrantur; tanta pollet induſtria, ut in iis, a quibus errata ſua notantur, majora deprehendat, atque nequitiæ redarguat judicia, quæ ſibi minus jucunda ſunt, ut nemo fere inveniatur, qui veritatis eidem aperiendæ ſubire velit periculum... Itaque ex quo oſtendit aliquis non probare in omnibus illius agendi rationem; ſtatim vel invidiæ, vel alterius cujuſpiam ægritudinis animi ſuſpicio oboritur. Cum autem nemo talis videri velit, inter homines quædam conjurationis ſpecies fit, ut eos diſſimulent ſenſus, quos viciſſim fovent, & nulla conventio eſt, quæ melius ſervetur, quippe innititur amori proprio, quo pauciſſimi carent. *Deſumptum ex ſpecimine Ethicorum præceptorum tractatu primo capite quinto*.

Cur nemo velit, vel audeat veritatem Plurimis dicere.

Omnes ſummis viris fallendis navant operam, at non majorem navant, ut immos errore aliquo liberent. Hoc unum diſcrimen inter utroſque ſtatuitur. Nemo aliena vult ſibi odia conflare, ita nemo cuipiam veritatem dicere audet. Patet aliunde ad hoc, ut veritas, quæ dicitur, ab aliis excipiatur, plurimis opus eſſe lenimentis, temperamentis, & meditatis ambagibus, quem laborem nemo ſibi vendicare vult pro illis, quos nullo habet in pretio. Itaque veritas neque ſummis dicitur, quia hanc illis abſcondere intereſt; neque imis, quia hanc illis dicere, non intereſt. Verum quod coram illis diſſimulatur, ubi receſſerint tanto liberius dicitur, quanto ægrius ſilentium ſervatum eſt. *Ibidem*.

Veritas, ſerius, ocius detegitur.

Veritas inter denſam omnium nebularum caliginem, quæ illi offunduntur, viam ſemper ſibi aperit. Aliquot ſemper internitent radia, quæ ſuperbiæ accidunt incommoda, eamque pacem perturbant, quam illa ſibi adnititur procurare. Sententiæ, quæ voluntario innituntur errori, numquam certæ, ac tutæ ſunt. Notandum eſt, quod quemadmodum maximus defectus eſt videre nolle veritatem, ita neque in nobiſmetipſis fateri volumus hanc pravam animi affectionem, non ſecus ac in aliis; ideoque non multi videntur, qui fateantur, ſe iniquo animo ferre, quod hæc ſibi aperiatur. Hæc exprobatio æque ac alia quævis diſplicet; & ut verbo me expediam, obtinere vellent gloriam amandi veritatem, & voluptatem numquam illam audiendi. *Idem*.

Veritas, quæ dicitur æqui bonique facienda eſt, ſi illam ſcire optimus.

Supponendum eſt, unumquemque, cum hinc ſciat nemini jucundum eſſe de ſuis defectibus certiorem fieri, inde vero noſtram ſibi conflare nolit inimicitiam, paratum eſſe, ut ſeipſum ab hoc eximat charitatis officio, nihilque nobis aperiat eorum, quæ vel ipſe de nobis ſentit, vel ab aliis ſentiri cognoſcit. Itaque niſi hunc obicem abſtulerimus, ac ipſi ultro quodammodo veritati occurrerimus, alios ad eam nobis patefaciendum hortantes, & ea ſinceritate, de qua nulla ſuboriri poſſit ſuſpicio, teſtantes nos illi gratiam habituros quomodocumque id fecerint, atque ita diſſipantes metum, quo noſtra ſibimet odia conflare verentur; ſemper nobiſcum fallacem hanc moderationem ſervabunt, qua in plurimarum rerum, quas noſſe nobis plurimum prodeſſet, ignorantia detinemur. *Idem*.

Rara inter homines ſinceritas.

Hominum plerique incomprehenſibiles ſunt; contra mentem ſuam palam loquuntur, & agunt: & fere ſemper intelligendum eſt oppoſitum eorum, quæ dicunt. Os, & cor raro conſentiunt, neque bonam fidem, neque ſinceritatem habent, perſonam ſemper gerunt, nihilque non ſimulatum in illis reperitur. Homines hujuſmodi ſunt civilis ſocietatis flagellum, & ab illis ſemper cavendum eſt, ne decipiamur. Illud mirabile eſt, quod ſæpius majorem laborem, & curam impendunt, ut ſimulent, & fucum faciant, quam qui impendendus eſſet, ut veras virtutes, quibus ſolidum ineſt meritum, adipiſcantur. *Abbas de Bellegarde in conſiderationibus de ſinceritate*.

Honeſto viro indignum eſt fallere.

Magna infirmitas eſt, ac turpis imbecillitas contra propriam loqui conſcientiam, ut illis placeamus, quos in partes noſtras pertrahere contendimus. Honeſtus vir neque ſimulare debet, neque fallere, neque mentiri; neque proprios ſenſus exuere, ut induat alienos, qui rationi nequaquam conſentiunt. Verum neque tanta præſeferenda ruſticitas eſt, ut in rebus, quæ nullo in diſcrimine habentur, & ubi modicum obſequii eos nobis delinire poſſet, palam offendamus. Etenim quot homines ſuis excidere negotiis propter importunam ſinceritatem, quæ animos hominum exaſperat, eoſque nobis efficit inimicos? *Idem*.

Pſeudo politicorum de ſinceritate ſententia.

Politici, qui ſuis tantum commodis ſtudent, & qui honeſtati præferunt utilitatem, docent, eum qui diſſimulare neſcit, neſcire ſuæ incolumitati conſulere. Omnia peſſum mittit negotia ſua, qui eam jactat ſinceritatem, quæ nihil ſeveritatis remittat. Oportet ſcire illis adblandiri, quos odiſti, & quos perdere deſideras; necnon obſequium, & exiſtimationem illius profiteri, quem omnino contemnis. Quæ artes, & ſimulationes, ſi omnino neceſſariæ ſunt, ut noſtræ conſulamus utilitati, profecto honeſto viro abdicandæ ſunt. Quod ſi eo in gradu es, ubi plurimorum tibi habenda ſi ratio a quibus tua pendet fortuna, hominum difficilium, quos loci ſui dignitas duros, ac inexorabiles efficit; non ideo tamen turpiter illis aſſentiari debes, & laudibus proſequi iniquitates, quas nimis crebro operantur; ſed palam illis aperire quid ſentias, atque tanto ſtudio, diligentia, arte illis tua proponere conſilia, ut ea teneantur amplecti, quamvis vitæ, ac utilitatis eorum ratio aliud ſuadeant. *Idem*.

Simulatio & mala fides ſunt humanæ ſocietati pernicioſæ.

Fallaces blanditiæ in civili ſocietate labes ſunt, & imbecillis animæ indicium. Cur illis adblandiris, quos odiſti, & quos a te quam remotiſſimos velles. Minus turpe eſſet ſinere, ut veri ſenſus tui internoſcerentur; ſaltem enim illi, quid ſibi faciendum ſcirent, ſibique præcaverent abs te, qui illos deludere geſtis. Nulla prudentia reſiſtere valet dolis illius, qui ad fallendum compoſitus tibi ſuam pollicetur operam, ac pro te ſemper vitam ipſam in diſcrimen eſſe adducturum; bona ſua, exiſtimationem, amicos, omnia tibi ſe devovere; ſub præclara hac ſpecie duplicem animum celat, ſi ob ſimultatem aliquam tibi interitum meditatur inferre; quomodo doloſis hujuſmodi illecebris falli non potes? quomodo cavere potes, ne in laqueos incidas hominis, ut te in errorem inducat, ipſa amicitiæ ſigna adhibentis, qui ſe tibi neceſſarium ſimulat, ut tuum ſecretum extorqueat, & qui tibi omnia pollicetur auxilia tunc temporis, quo tibi cladent inferre meditatur? *Id.*

De fide in promiſſionibus ſervanda.

Si quid amicis pollicemur, nullis utendum eſt ambagibus, & æquivocis; male audit, qui promiſſi fidem non præſtat, & ſinceritate vacuus deprehenditur. Plerique hominum feſtinanter promittunt, quidquid ab ipſis petitur, quin certo ſciant, utrum promiſſionem adimplere aut velint, aut valeant. Hæc levitas illis conflat contemptum eorum, quos fallunt. Ubi aliquid polliciti ſumus, citius, quam fieri poteſt, fidem noſtram liberare debemus, quin efficiamus, ut alii promiſſam ex-

pectan-

pectantes opem elangueant. Bis dat, qui cito dat; ac datæ fidei pœnitere videtur, qui quam recepit, differt in dies. *Idem*.

Sinceritatis characteres. Plurimum diſcriminis intereſt inter ſinceritatem, & quamdam loquendi pruriginem, quæ efficit, ut noſmet aperiamus illis, cum quibus perperam neceſſitudo ſociatur. Sinceritas neque imprudens eſſe debet, neque præceps; non cogit ea omnia nos effutire, quæ ſcimus neque cor noſtrum aperire curioſis hominibus, qui ſecretos animi noſtri ſenſus penetrare conantur. Cum id genus mortalibus cautus eſto; ſæpe enim iis abutentur, quæ illis commiſeris. *Idem. Abbas de Bellegarde.*

Sinceritas aliorum exiſtimatione ſibi conciliat. Sinceritas fortaſſe breviſſima eſt ad hominum exiſtimationem promerendam via: ſatius eſt bona fide ſuas fateri infirmitates, quam tot ambagibus uti ad fallendos mortales, qui quid ſibi exiſtimandum ſit, norunt. Quid enim prodeſt quorumdam hominum verſutia, qua aliis fucum facere quærunt? Omnes eorum artes placere non poſſunt . . . . Non ſatis aſſequor cauſam, propter quam homines tantopere ſimulare geſtiant; ſemper theatricam gerere videntur perſonam; eorum geſtus, verba; inceſſus, omnia compoſita ſunt. Putantne, ſe placere poſſe ita ab ingenio ſuo recedentes? *Idem*.

Sinceri ſæpe ab aliis falluntur. Sinceritas aliquando pro ruſticitate habetur. Videntur homines, qui ingenii acumine pollentes, æquo judicio de rebus diſceptantes, quantumvis his luminibus præditi, nonnumquam fiunt eorum ludibrium, qui litteraturæ omnis expertes ſunt, qui carent ſinceritate, & qui modicum illud ingenii, quod habent, impendunt, ut illos, cum quibus rem habent, decipiant... Sunt etiam, qui vix, & ne vix quidem id dicere umquam poſſunt, quod ſentiunt: in eorum ſermonibus aliquid ſemper ambiguitatis adeſt, & ineptiſſimas etiam nugas, tamquam ſecreta conſilia, aliorum fidei committunt. Sexcenta ſunt prudentiæ eorum, cum quibus verſamur, relinquenda, & nullum requirentia myſterium. Ea tantum excipienda ſunt, quæ alicui poſſent officere; tunc enim de illis loquendum non eſt, neque cum ipſis amiciſſimis, qui certe conqueri jure non poſſunt, ſi intelligant, hæc illis te noluiſſe committere. *Idem*.

Rationi cedere rectæ mentis nota eſt. Quodcumque tibi ſit meritum, quamcumque præ aliis auctoritatem habere putes, rationi cedas oportet, & aurem illis adhibeas, qui optimum habent ſenſum, ut ex eorum conſiliis fructum percipias, atque ubi deerraveris, redeas in viam. Rectitudo etiam, & ſinceritas requiritur, ut illis perſpicue, ac pro rei veritate ſine ſimulatione rerum tuarum ſtatum enarres. Quomodo enim conſilium ſalubre ſibi præbeant ea in re, cujus finem, ac ſummam illis abſcondis; quæ tibi præbebunt, conſilia inania erunt, ac nullius tibi eſſe poterunt utilitatis. *Idem*.

Officioſa verba temere prolata ſinceritati opponuntur. Non deſunt qui urbanitatem hac in re ſitam putant, ut ſine ullo dignitatum, meritorumque omnes officioſis verbis excipiant: illos morantur ineptis obſequiis, ac operæ ſuæ pollicitationibus, quæ ad nihilum rediguntur. Aliquantiſper hac ſpecie decipiunt; qui inde ſe aliquem percepturum fructum ſperat, illis adhæret, ſed eos tandem aſpernatur, ubi tandem ſæpius deceptus promiſſionum vanitatem agnoſcit. Nonne præſtat ingenue fateri illis, qui aliqua de re impenſius nos rogant, ea, quæ petuntur, ſupra vires eſſe; dolere nos, quod pares minime ſimus illis gratificando? Confeſſio hæc rubore ſuffundit eos, qui vani ſunt; metuunt, ne quid boni nominis, quo fruuntur, pereat; verum multo magis erubeſcunt, ubi palam docet experientia, quam exilis fuerit eorum facultas. *Idem Abbas de Bellegarde.*

In amicitia ſinceritas requiritur. Non tenemur cum omnibus neceſſitudinem, & amicitiam conjungere: hac in re prudenti electione opus eſt; verum turpe eſt inanibus blanditiis obruere eos, qui non amantur, eiſque os ſublinire fallacis amicitiæ, quæ illos ſeducit, argumentis. Etenim verbis tuis adhibent fidem; atque illis innituntur auxiliis, quæ ſpopondiſti; ſed ubi maxime indiguerint, illos deſeris, ac tandem promiſſionum tuarum fraudem agnoſcunt. *Id.*

Quam pernicioſus ſit ſinceritatis defectus. In mundi commercio nihil pericolosius eſt amico, qui caret ſinceritate. Inimico vulgo fidem non habemus, immo quam diligentiſſime cavemus, ne nobis illudat; ſed nequaquam de illo diffidimus, quem res noſtras curare arbitramur; illius ſequimur conſilia, ac ſæpe in periculo verſamur errandi, ſi ita perfidus ſit, ut nos prodere velit. *Idem*.

Fraudes ut plurimum in auctorem relabuntur. Calumniæ ut plurimum æque funeſtæ ſunt veteratoribus, ac illis, qui decipiuntur. Ex fraude paſſim nihil percipit auctor, quam ignominiam, eo quod facinus auſus fuerit honeſto viro indigniſſimum . . . Verum ex omnibus veteratoribus nemo eſt, a quo minus nobis caveamus, quam ab iis, qui in religionis materia nos fallunt; ſpiritus enim præoccupatus non conſulit rationem, immo neque ſibi tantum relinquit temporis, quantum ad ratiocinandum requiritur. Oculi clauduntur, ne manifeſta eorum flagitia videantur; eorum impotentia, ac furor a ratione procul abhorrens excuſatur; hic bonus eſt vir, dicitur, qui nihil audet, quod conſcientiæ ſuæ labem valeat offundere, iniquitatis myſterium intus, & in cute non exploratur, atque omnino rationi conſonum invenitur.

Rara in terris ſinceritas. Qui hodierna die vivunt, non multum de ſinceritate laborant; neque admodum dolent, ſi eadem penitus careant. Hac in re non ſunt religioſi; pro bona fide ac ſinceritate in illis ſimulatio tantum, ars, & ſæpe etiam perfidia deprehenditur. Miraris te proditum videns ab iis, in quibus omnino confidebas, & qui tunc ſe tibi inimicos oſtendunt, cum maxime eorum eges auxilio: hi profecto ictus lethalia vulnera infligunt, ex quibus numquam valeas convaleſcere. Numquam venia conceditur huic fidelitatis defectui, quantumvis proditor tibi placere contendat; manet ſemper alta mente repoſta ſecreta amaritudo, & qui ſemel fefellit, in amicorum ſuorum benevolentia impoſterum non confidat. *Idem*.

Infamia, quæ mendacium ſequitur. Inter potiſſimas rationes, quæ nos a mendacio poſſunt deterrere, infamia eſt, quæ nomini noſtro inuritur, ubi ſemel illud in habitum migraverit. Mendacium auctorem ſuum confuſione ſuffundit, & qui famam adeptus eſt mendacis, & veteratoris, reipſa fit mortalium omnium fabula, & ludibrium; mendacium enim vulgo ex pluribus aliis vitiis procedit; veritas enim non proditur niſi ob avaritiam, ſuperbiam, invidiam, impudicitiam, impietatem, vel aliud quodlibet vitium; & nonniſi ex corruptionis fonte poteſt proficiſci. *Ex nono ſermone de voluptatibus, P. Heliodori Capucini.*

Homines pati nequeunt mendacium. Hæ cauſæ ſunt, propter quas male audiunt mendaces; hæ propter quas Spiritus ſanctus mendacium æternum opprobrium appellat. Vos autem, qui æquo animo ferre non poteſtis homines hoc vobis vitium exprobrantes; vos qui vitam, ſalutemque veſtram objiceretis, niſi legibus cohiberetur inſanus ille furor, qui vos agit, ut cruore veſtro abluatis contumeliam, quæ hoc probro vobis infertur, vos pudeat, quod homines ſciant, vos pati non poſſe hoc opprobrium; vos pudeat quod illi norint, id quod vobis exprobrari non vultis; ſed metuite minas, atque judicia Dei veritatis, qui nebulones, ac mendaces abominatur. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* Pſalmus. 5. *Idem*.

Aliæ rationes quæ nos a mendacio debent deterrere. Nimium procederem ſi omnes explicare vellem rationes, quæ vos a mendacio debent avertere; ſatis ſit noſſe, mendacio alia peccata graviora fieri, virtutum innocentiam imminui, & veritatem diffamari. Avaritia nocentior eſt, cum perjurio utitur, vel adulterato chirographo, ut aliena bona vel invadat, vel retineat. Superbia nocentior eſt, cum ea profert, quæ comminiſcitur ad exiſtimationem captandam, vel ad evitandam infamiam. Odium gravius eſt, cum fictitia crimina excogitat, ut innocuis honorem eripiat. Hæreſis deteſtabilior eſt, cum Scripturæ, Patribus, & Eccleſiæ ſenſus, & ſententias, quas non habent, imponit. Virtutes ipſæ aliquam integritatis ſuæ partem amittunt, cum utuntur mendacio. Humilitas omnino culpa non vacat, ſi quis mentitur, ut ſuas tegat perfectiones; miſericordia innocens non habetur, ſi quem mentiri doceat ad pauperum egeſtatem levandam, vel ad proximi vitia tegenda. Juſtitia ſe injuſtam quodammodo præbet, ſi ut facti veritatem aſſequatur, utatur mendacio. Virtutes reliquæ puritatem ſuam non tuerentur, ſi, quamquam optimus earum finis eſſet, mendacio uterentur. *Idem*.

Plurimi dolum & fraudem prudentiam vocant. Hominem probro dignum eſſe, cum veritatem qua dictis, qua factis lædit, liquido conſtat: illud vero ferendum non eſt, quod fallendi artem callere glorietur, quod fraudem, ac verſutiam induſtriam vocet; perinde ac animæ corruptio, ut S. Gregorius loquitur, facta fuiſſet pretioſiſſimum Aulici talentum . . . Inde oriuntur fraudes, & temeraria judicia, inde prava officia, & falſa teſtimonia; inde ars injuſtas ſuſpiciones tamquam exploratiſſimas veritates venditandi; inde os nequitia refertiſſimum, & lingua in mendaciis, doliſque exercita &c. *Ex Manuſcripto.*

De dolo, ac doloſis hominibus. Quamquam verum ſit, mendacium, fraudem, & diſſimulationem omnem eſſe ambitioſorum hominum artem, atque induſtriam, hæc eſſe corruptæ politicæ inſtrumenta, & exquiſita conſilia. quibus ſæculi prudentes utuntur; hoc nihilominus diſcriminis intereſt, quod ſcitus Aulicus tunc ſolum mendaciis utitur, cum tutto ſe id fieri poſſe arbitratur, neque ullam adverſus amicos, & neceſſarios adhibet diſſimulationem, ne amicitiæ, ac neceſſitudinis eorum voluptatem, vel utilitatem amittat; ſed artem cum omnibus exercet, quia ingenii ſui acumine ſperat futurum ut omnes artes ſuas valeat celare. Et ſane poteſt quidem mendacium deprehendi; diſſimulatio detegi poteſt; ſed ars nequit penetrari; & Ægypti tenebræ nequaquam denſiores erant illis, quibus ars illa tegitur; quæ res efficit, ut ſubdoli homines non ita facile intelligantur; quapropter Eccleſiaſticus c. 19. inquit: *Interiora ejus plena ſunt dolo. Liber cui titulus de humanarum virtutum falſitate. Capite de amore veritatis.*

De duplicitate. Dolus duplex illud efficit cor, quod a Spiritu ſancto diſſimulatis hominibus tribuitur: ambitioſus enim homo duo habere corda videtur, alterum quidem, ubi fovet ſyſtema illud fortunæ ad quam anhelat, & cujus ſenſus omnes iis occupantur cogitationibus, quæ pertinent ad eamdem; cor iſtud abditum eſt, ferox, ſævum, inexorabile, ac indeſinenter ſexcentis affectibus agitatum; alterum vero apertum eſt, lene, pacatum, humile, aliiſque gratificando paratum; & hoc linguam gerit, & ut ita dicam curam habet oris, habitus corporis, geſtus, omniumque externarum actionum . . . Hoc nos docet Scriptura cum ait, ſubdolos homines duplici corde loqui; hoc eſt, quamvis altero in alicujus gratiam aliquid ſtatuant, atque decernant, altero tamen conſtituunt omnia ad ſuam utilitatem referre. *Idem*.

De ſimulationibus, & dolis. Verſutia magis adhuc apparet in partium, factionumque capitibus, in magnis dolorum magiſtris, qui ut Regius Propheta loquitur, noctis partem, totamque traducunt diem inquirendo fraudes, & dolos, qui ſine religione eam violant legem, quam Deus adeo ſapienter conſtituit, quod nempe verba ſint noſtrarum cogitationum imagines; & qui adoptaſſe videntur tenebras, æquivoca, & ſermonum ambiguitates, ut ſuas artes, infidelitates, & fraudes protegant. Hoc pacto excipitur in aula veritas a politicis, qui linguam ſuam inſtruunt ad ſcite mentiendum, ut ait Scriptura. Neque melius alibi excipitur; nam præterquamquod a nobilium ædibus, ab omnibus artibus, atque profeſſionibus proſcripta eſt; plerique hominum indeſinenter illam offendunt, ut opes congerant. Imminuitur, diſſimulatur, alia ei perſona inducitur in foro; quo exiguo quolibet lucello ubique, & ſæpe etiam pro nihilo negantur veritates, quæ maxime patent, & pauci religioni ſibi vertunt eas, quæ maximi momenti ſunt, oppugnare. *Idem*.

Fallacia mundanæ politicæ præcepta. Nequaquam in animo refellere mihi eſt, quod impius quidam auſus eſt affirmare, quod regnare, ac ſervare fidem ſimul eſſe non poſſint; nec quod copiarum dux quidam noviſſimorum horum temporum Cæſari ſcripſit; quod ſi fidem præſtare vellet, ac probitatem ſervare, ſeſe imperio, regniſque omnibus abdicaret, & in clauſtra confugeret; nec quod primus quidam miniſter affirmabat fieri non poſſe, ut ſummi viri in Regis aula detinerentur niſi pluribus promitterentur, quod uni tantum conferendum eſt; & niſi contra veritatem diceretur Principi, cui non gratificari periculoſum eſt, jam pridem alteri deſtinatum fuiſſe, quod ille recens depoſcit. Omnes hujuſmodi ſententiæ, & rationes pravæ, quæ ad verſutiam probandam aſſeruntur, non ex hominis corruptione tantum, verum etiam ex ignorantia ſolidorum veræ politicæ præceptorum proficiſcuntur. *Idem*.

Principes fidem præſtare tenentur. Principum conditio profecto deplorabilis eſſet, ſi cum probitate illis regnare nequaquam liceret, neque fovere poſſent cum ſubditis, fœderatiſque ſuis neceſſariam concordiam, quin ad mendacium, fraudeſque confugerent, eamque violarent fidem, quæ unicum eſt omnis commercii vinculum. Illud certum eſt, bonam fidem maximum eſſe ſubſidium, nihilque Principibus utilius eſſe, quam omnibus probatum eſſe, hanc omnium operum eorumdem eſſe principium, & normam. Quod ad aulicos pertinet, verum eſt æquitatem, rectitudinem, & veritatem non eſſe, ut plurimum, breviores, facilioreſque vias, quibus ad dignitates perveniant; verum neceſſe non eſt creſcere; ſed rectum, verum, fidelemque eſſe, hoc utique neceſſe eſt. *Idem*.

Sinceritatis elogium. Nulla virtus eſt, quæ potiori jure credenda ſit vera, quam ſinceritas; neque enim altera pulchriorem ſpeciem præſefert. Hæc ex omnibus virtutibus, quæ ad ſocietatem nectendam, fovendamque inſerviunt, una omnium maxime utilis, & amabilis eſt; hæc eſt fidei fundamentum, hæc requies, & ſecuritas commercii; ſine hac privata omnia colloquia tamquam laqueos metuimus; conſilia omnia, quæ nobis communicantur, tamquam obices noſtri veremur; & omnes homines, qui nobiſcum vivunt, tamquam inimicos timemus, a quibus decipi poſſumus: verbo, ſine illa tanto metu vivimus, & converſamur, quanto qui noctu in præcipiti gradiuntur. *Idem*.

Quinam ſinceri dicantur. Hoc nomine appellatur homo donec putatur ſimplex, & verax, atque fides haberi poteſt iis, quæ ab ipſo dicuntur; quia in illius poteſtate ſitum non eſt ſenſus ſuos diſſimulare; ſed ubi intus & in cute perſpicitur, & deprehenditur ſua uti ſinceritate, ut propriæ conſulat utilitati, ac ſimplicitatem viam eſſe, qua ad fines ſuos tendit; quamprimum de eodem alius conceptus efficitur . . . Qui vere ſinceri ſunt, omnem a ſe amovent duplicitatis, & verſutiæ ſuſpicionem: cum enim videant, fraudem exiſtimationi præſertim obeſſe, illam odio proſequuntur, ſinceritatem vero virtutem putant, per quam facile honeſti homines poſſint haberi. Hinc ſperant etiam ſe mortalium omnium benevolentiam morum ſimplicitate, ac verborum ſinceritate adepturos: nam ob eamdem cauſam propter quam diſſimulati homines metuuntur, ſinceri amantur, & inquiruntur; eorum fortunæ etiam impenſius velificamur, & libenter illis operam noſtram impendimus, ubi ſeſe nobis offert occaſio. *Idem*.

De fictis familiaritatibus. Si pleræque familiaritates, quæ paſſim fiunt, vituperandæ ſunt, quia vanæ ſunt, & periculoſæ, quid cogitandum, dicendumque de illis, quas ſimulant ii, qui aulæ negotiis impediti ſunt, ut viciſſim alter alterius conſilia detegant, vel ut illa celent, atque fideliſſimos amicos avertant, non aliud animo verſantes, niſi ut ſeſe ultro citroque decipiant? *Idem*.

Rara eſt fidelitas. Perraro videntur homines, quorum fides, ac probitas adeo ſolida, confirmataque ſit, ut non ſolum minis labefactari nequeat, vel tentari promiſſis, verum etiam ut omnibus affectuum conatibus reſiſtere valeat. Ut hæc veritas conſtet, debet unuſquiſque ſecum omnes vitæ ſuæ actiones repetere, atque ſcrutari, utrum odium aliquod, ultio, amor, vel ambitio effecerit umquam ut bonam fidem, ac probitatem offenderet: utrum acciderit umquam, ut amico rem perjucundam facturus illi ſecretum ſibi commiſſum aperiret; utrum metus excidendi gratia Principis alicujus viri, prohibuerit, ne teſtimonium perhiberet veritati iis in occaſionibus, ubi teſtimonium illius ſatis erat, ut hominis immerito probris, calumniiſque petiti exiſtimationi conſuleretur; denique utrum per invidiam imminuere conatus fuerit pretium, & gloriam actionis alicujus, quam amicorum omnium familiariſſimus fuit operatus. *Idem*.

Ut ſincere agatur, ſequi opus eſt religionis præcepta. Satis ſuperque acuminis vobis eſt, auditores lectiſſimi, ut palam videre poſſitis ea mala, quæ ingruerent, ſi quilibet ſeipſum rationis lumine deducere vellet, ſi ſe arbitrum conſtitueret rerum earum, quæ ad ipſum pertinent, ſi judex in propria cauſa fieret, atque negotiorum ſuorum dominus eſſet: ita ut ratio ſeipſam a Deo independenter abſolute conſiderans principem locum obtineret. Quot illa prætextus excogitaret proprios errores probatum? Quot peccatis virtutis nomina deferret? Hac de cauſa, S. Chryſoſtomus inquit in iis, quæ majoris momenti ſunt, in tractatibus pacis, in dignitatibus adeundis, jusjurandum exquiritur, tamquam actus, ac proteſtatio quædam. Quorſum iſtud; quia videlicet niſi Deus teſtis accederet, fieretque initæ conventionis, datæque fidei ſponſor, homines viciſſim ſibi diffiderent, ac aſſidue multa orirentur incommoda in republica, & ſocietate. Ratio noſtra nimis infirma eſt, voluntas vero nimis corrupta, niſi religione illuminetur, atque regatur. *Ex ſermone quodam P. Bourdalove.*

Facta æque ac verba decipiunt. Facta æque ac verba decipiunt, & communis agendi ratio nihilo magis ſincera eſt, quam communis ratio loquendi. Homo ſexcentas quotidie perſonas mutat, ne agnoſcatur qualis eſt, & ut qualis non eſt, exiſtimetur. Non ſolum mundo fucum facere quærit ſuppoſitis titulis, mutuatiſque coloribus; ſed perinde ac Deus decipi, fallique poſſit, illum ipſum fallere contendit, illum ore colens, at cordis obſequium detractans, exteriorem tantummodo cultum eidem adhibendo. *Ex moralibus ſermonibus, ſermone de pietate.*

De veritate, ac mendacio. Belluæ ſuos edentes clamores neminem fallunt; homo ſolus nequitia ſua vocis uſum pervertit: attamen veritas univerſale bonum eſt, quo mundi ordo ſervatur. Huic publica fides, jus gentium, atque juſtitia innititur: hæc præſtet amicitiæ; ſine hac mundus non aliud eſſet, quam merum chaos; omnes homines eſſent ſubdoli, ignavi, veteratores; & ſi ex mundo veritas proſcriberetur, nulla ibi eſſet honeſtas, voluptas nulla . . . Mendacium diſſimulationi inſervit, dolo, perfidiæ, ignaviæ, omnibuſque fere criminibus. Mendacio uti infirmitatis etiam eſt, atque imprudentiæ, qui enim mentitur ſeſe exponit crimini, quod committi numquam poteſt, quin ſeſe in diſcrimen illud adducat,

cat, ubi poſſit deprehendi. Pro nihilo mentiri, inſania eſt; pro quæſtu iniquitas magna. *Auctor Anonymus, & recens.*

Mendacium legi naturali contrarium eſt.

Veritas debetur proximo ſimulac cum eo loquimur, & ſermonis commercium tacitam continet veritatis promiſſionem, cum ad id unum datus ſit nobis; neque eſt hæc privati cum privato conventio, ſed communis omnibus hominibus inter ſe, & quædam ſpecies juris gentium, vel potius lex quædam naturæ. Lex iſta, & communis conventio per mendacium violantur; & quo arctior eſt nexus ille, quem inter ſe homines habent, eo legis hujus prævaricatio magis ſanctitati & juſtitiæ adverſatus. Quamobrem Apoſtolus ut Chriſtianos ab uſu fraudis, atque verſutiæ deterreat, hanc adfert rationem, quod videlicet alii aliorum membra ſumus. Membrum numquam alteri membro fraudem facit; oculus non decipit manum, neque manus pedem, ſed ſimul omnes cooperantur, ut corporis utilitati, communique bono proſpiciant. Ad hæc nulla vera ſanctitas eſt ſine veritate; nulla veritas in fraude, atque calliditate. *Eſſais de morale Tomo 5.*

Anima nobilis contra veritatem loqui non poteſt.

Homo magnam habens animam, & cor generoſum ignorat quid ſit mentiri, & putat ſeipſum prodere, qui prodit veritatem. Cum procul ab illo turpes, abjectique ſenſus abſint, putat, pudendum non eſſe ſeſe talem oſtendere, qualis eſt, ſibique perſuadet eum, qui veritati abrenunciat, abrenunciare quoque honeſtati. Prudentia illum nonnumquam reticere cogit, quod cogitat; at numquam aliter quam cogitat, loqui; nulla eum ad id adſtringere poteſt utilitas; maxima quippe utilitatum omnium eſt honeſtas, atque conſcientia, quæ ſine ſinceritate, & rectitudine ſubſiſtere nequit. *P. Nepveu in Conſiderationibus.*

Doli, & fraudes, quas excogitat avaritia.

Quis dicendo enumerare poſſet injuſtitias, rapinas, fraudes, quæ per avaritiam, & diteſcendi cupiditatem quotidie ſexcentis modis, in omni negotiorum genere, ac in mutuis commerciis committuntur, modo per contractus, qui palam ſunt uſurarii, modo per fœnora callide diſſimulata, & quibuſdam formulis, coloribuſque fucata, qui efficiunt, ut humanos judices fallant, modo per ſimoniam, ſecretaſque pactiones; nonnumquam Principes, cum quibus res eſt; decipiendo, nonnumquam injuſtis favendo lucris, ut inde aliqua percipiatur utilitas; nunc dando, vel accipiendo ut corrumpatur juſtitia, vel ad eam opprimendam utendo gratia, potentia, fraude, aliiſque artibus, quas forenſium rabulatum induſtria excogitavit, ut injuſtitiæ faverent: aliquando cum bonæ fidei detrimento, ac ipſius etiam humanæ valetudinis, vitæque præjudicio merces adulterando. Neſcio equidem intus, & in cute mundum; neque experientia id cupio doceri; ſcio nihilominus, quoniam hæc communis fama eſt, & quia illorum, qui adeo injuſte opprimuntur, paſſim hæc auditur querela, ubique, ubi agitur de contractibus, commerciis, negotiatione, & cujuslibet generis re innumera videri adinventa iniquiſſima, ab hominum avaritia excogitata, quæ nequiter acuit ingenia, ut ſeſe homines ultro citroque fallant, atque alienis bonis diteſcant. *Maimbourg, ſermone pro feria tertia poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.*

Non deſunt negotia ubi vix fieri poteſt, ut bona fide, & ſincere agatur.

Sancti Chryſoſtomus, & Auguſtinus omnino nolunt, Chriſtianum hujuſmodi negotiis ſeſe irretire, ubi fere nullum percipi lucrum poteſt, quin malis artibus chriſtiana ſimplicitas, & iniquitate juſtitia amittatur. Cum enim aliquis ſibi perſuaſit, ad hoc ut locuplex fiat, plurima ſibi obeunda eſſe negotia, cum illis, ex quibus inſignem quæſtum ſe ſperat percepturum; hic ut voti damnetur, ſibi religioni minime vertit, mendacio, fraude, ſexcentiſque nefariis rationibus uti plurima per injuſtum commercium acquirendi. *Idem.*

Negotium, & commercium permittuntur, dummodo bona fide agatur.

At enim, numquid prohibitum eſt negotium, nefaſne mihi eſt negotiari, paciſci, tractatus tranſigere; vendere, emere, atque rationes, calculoſque ſubducere? Quis hac de re dubitat? Quid fierent alioquin commercium, atque civilis ſocietas? Quænam igitur ſunt hæc negotiorum genera, quæ prohibent, ne Deo reddatur quod ad ipſum pertinet? *Quæ ſunt iſtæ negotiationes?* S. Auguſtinus interrogat, *audite, quando pretiis rerum, quas vendis, non ſolum mentiris, ſed etiam falſum juras*; merces veſtras diſtrahentes, & cum proximo veſtro contractum ineuntes, non ſolum ſine ulla religione ſexcenta immiſcetis mendacia, verum etiam illa ſexcentis perjuriis probare contenditis, cum injuſtis negotiis, quæ per avaritiam aggredimini, & quæ per cordis ſævitiam tanta nequitia, atque impotentia perſequimini, occaſionem præbetis blaſphemandi nomen Dei, ac in ludibrium vertendi religionem iis, qui cum ſcandalo objiciunt, ecce quinam ſunt Chriſtiani, exactores magis duri, quam Ethnicorum extiterint Publicani, magiſque immites fœneratores, quam Judæi; ubinam illa columbæ ſimplicitas, & charitas, quæ illorum eſſe debet character, ex quo diſtinguantur ab aliis? Quid? homines, qui tecum agentes id unum quærunt, quomodo te decipiant, te fallant, ac ſexcentis fictis quid acuminibus, veris autem dolis te perdant? *Idem.*

Exhortatio ad bonam fidem, & ſinceritatem.

Perhorreſcite, o Fideles, dolos, ut incidatis in manus divinæ juſtitiæ, quæ certiſſime pœnas repoſcit, etiamſi humana deficiat juſtitia, quæ illis ſæpiſſime parcit. Negotiamini, ſed bona fide; contractus facite, ſed ſine dolo; mercamini, ſed ſine fraude; vendite, ſed quin decipiatis, atque honeſtum lucrum vobis ſufficiat; Eccleſiaſtica quoque beneficia quærite, & poſſidete, verum ſine ulla ſimoniæ ſuſpicione. Publicos aggredimini magiſtratus, ſed quin vel repetundarum vel peculatus nomine vos reos conſtituatis; ideoque antequam aliquod cum hominibus negotium ſuſpiciatis, cum Deo in oratione negotiamini; & ſi aliqua conſcientiæ veſtræ oboriatur dubitatio, probum, ſcitumque virum conſulite, qui aperte doceat, quid ſit faciendum. *Idem.*

Fraudes, quæ in foro, & jure dicundo committuntur.

Quin de falſis loquamur teſtibus, aliiſque craſſioribus adulterationibus, quæ in fronte deſcriptam geſtant damnationis ſententiam; quot doli, diſſimulationes, fraudes, verbo, quot mendacia adhibentur, ut cauſa fiat melior? Attamen teſtatur Propheta Pſalm. 5. Deum ſine ulla exceptione eos, quicumque mentiti fuerint, perditurum: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Ex ſermonibus in præcipua Ethicæ Chriſtianæ argumenta, ſermone de Mendacio.*

De iis, qui per habitum mentiuntur.

Conjicite quid ſit amare mendacium, & prodere veritatem. Non loquor de illis, qui per imbecillitatem, vel metum nonnumquam imprudentes mentiuntur; peccant illi quidem, licet levius; de illis loquor qui ſibi habitum faciunt mentiendi, in omnem vitam permanſurum; habitum, cujus illos non pœnitet umquam; habitum, qui infelicem efformat in anima mentiendi facilitatem, quotieſcumque ſeſe offerat occaſio. Iſti illi ſunt, de quibus Iſaias Propheta cap. 57. loquitur, quorum pater diabolus eſt, iſti illi ſunt, quos a cœleſti Jeruſalem S. Joannes Apoc. 22. excludit: *Foris canes, & venefici, & impudici, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Videte cum quonam mortalium genere Apoſtolus mendaces commiſcerat. *Idem.*

De cordis duplicitate; & fraudibus; quibus utuntur mortales ut ſimplicibus fucum faciant.

S. Gregorius admirabilem nobis proponit hypotipoſim hujus duplicitatis, illa Jobi c. 12. explicans verba: *Deridetur juſti ſimplicitas &c. Hujus mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu a juventibus ſcitur, hæc a pueris pretio diſcitur: hanc, qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc, qui neſciunt, ſubjecti, & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, cum mentis perverſitas urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit bonorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare. At contra ſapientia juſtorum eſt, nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare; bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur: quia ab hujus ſæculi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur: omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio ſtultum putatur; & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientiæ fatuum ſonat. Ex 10. libro Moralium S. Gregorii Papæ cap. 16. in cap. 12. Job.*

Mendacium, & ſimulatio efficiunt negotiationem magnis obnoxiam criminibus.

Si negotiationem, atque commercium in primigenia ipſius inſtitutione ſpectemus, quæ quidem regula eſt recti de rebus judicii ferendi, liquido conſtat, hanc profeſſionem integerrimam eſſe, atque ab hominibus excogitatam, ut ſuis opem ferrent neceſſitatibus. Deus ipſe prima illius jecit fundamenta, cum terrarum orbem creavit; his enim regionibus ea concedens, quæ aliis negavit, occaſionem hominibus præbuit ab aliis ea, quibus carebant, accipiendi, illiſque ea, quibus abundabant, communicandi: Si quælibet Provincia ea protuliſſet, quæ vitæ hujus commodis neceſſaria, quemadmodum nullum extitiſſet commercium, ita & nulla ſocietas extitiſſet: commercium omnes ſimul conjunxit, & conſociavit. Verum enim vero fatendum eſt, commercium hoc pluribus ſceleribus occaſionem præbere, in quorum numero mendacium eſt, quod nonnumquam in aliquid deterius, perjurium videlicet, degenerat; ſive enim mercatores emant,

emant, ſeu vendant, numquam deeſt ſimulatio. Vendentes pluris æſtimant merces ſuas, quam verum ſit pretium earum; illas extollunt, & pro virili celebrant, omnes earum defectus diſſimulantes; ementes vero ita oblatum quodlibet contemnunt, & imminuunt, ut pro nihilo illud acquirere velle videantur; & quo majori illius poſſidendi flagrant deſiderio; eo majori illius affici videntur faſtidio. Ubi vero acta, tranſactaque omnia, & mercis antea neglectæ facti ſunt domini, tunc diceres illius immutatam eſſe naturam, tunc enim nihil eſt adeo delicatum, affabreque elaboratum, nil æque numeris abſolutum omnibus, jam nullo ſatis æſtimari poteſt pretio; jam nihil ſupra deſiderari poteſt, jam artis miraculum eſt ad unguem perfectum. *P. Cordier in Familia Sancta Tomo 3.*

Hæc agendi ratio, quæ omnium fere eſt, qui mercaturam exercent, dubitari jure poteſt utrum ſincera ſit. Tunc dolos, fraudeſque adhibent impenſius, cum aliquid pluris, quam æquum eſt, venundare volunt. Affirmant exoticum eſſe, cum vernaculum ſit, ex orientali allatum plaga, cum ex occidua venerit; tanti illud ſtetiſſe, cum ne tanti quidem; neque ſe illud daturos niſi tanti, cum in animo ſit, illud etiam minoris venumdare. Verum enormius adhuc crimen eſt, cum non abſtinent juramentis, atque imprecationibus, & ad id confirmandum, quod falſum eſt, Deum teſtem vocant, quaſi illum in ſuæ infidelitatis partem accerſant; nos perdat Deus, inquiunt, niſi ita ſe habet res. Qui hanc vivendi rationem ſequuntur tamquam parum religioſi juſtitiæ obſervatores habentur. At longum, ac difficile eſſet omnium id genus ſcelerum texere nomenclaturam. Non deſunt, qui duplici pondere, duplicique vendant menſura; omnes chariori, quam fieri poteſt, pretio vendunt, quin ullam rationem habeant æquitatis, & credunt emptoris inſcitiam ſibi jus fallendi conferre. Qua in re graviſſimæ committuntur injuſtitiæ; etenim quamvis ſingularum rerum pretium aliquam extenſionem obtineat, & paulo majus, ac paulo minus ſtatui poſſit, quin ultra æquitatis terminos egrediatur; nihilominus merces eædem non minus habent pretium pro illo, a quo cognoſcuntur, quam pro hoc, a quo ignorantur. *Idem.*

Opificum [illegible].

Opifices neque majorem habent præ mercatoribus ſinceritatem, neque fidem meliorem. Alii ut magis lucrentur, opus ſuum producunt ultra terminos, quos illis Eccleſia conſtituit, non enim expectare poſſunt donec ſanctus exceſſerit dies, ut operi vacent; & male feriati ſemper aliquam ſacri temporis auferunt partem, quam ſervilibus impendant operibus. Alii opera ſua vitiant, ſeu illis non omnem, quæ requiritur, induſtriam, tempus, & curam impendentes; ſeu aliquid materiæ ſubtrahentes, vel aliam ſequioris notæ ſubrogantes. Aptiſſimum, quod huic verſutiæ nomen poſſit appingi, eſt ſecretum latrocinium, vel publica infidelitas, quæ eo nocentior eſt, quo majorem adhibent induſtriam, ut lateat. *Idem.*

Contra aſtus, & dolos generatim.

Si quid eſt non honeſtis tantum, nobilibuſque viris, verum neque vulgo hominum ferendum, hi ſane ſunt tenebriones, ac veteratores, qui oppoſitum faciunt eorum, quæ dicunt, & quæ pollicentur: *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis.* Eccl. 7. Hoc ſapientem impulit, ut eos ubique exploraret, ut illos anathemate percuteret, ut illis quodlibet malorum genus imprecaretur: quia ſine fide ſunt, ſine conſcientia, ſine religione, & iis, quæ dicunt, minime fidendum eſt: *In corde, & corde locuti ſunt*, inquit Regius Propheta. Pſal. 11. Duplici ſunt corde; neque aperiunt os, niſi, ut illos qui fidem dictis eorum habuerint, decipiant: *In lingua eorum agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Nulla major hac fingi poteſt verſutia. Doctiſſimus quiſque ab eadem ſibi cavere non poteſt; nemo enim eſt, qui eludere valeat tela doloſæ linguæ hominis ſubdoli, ac diſſimulati. Verſuta hæc lingua fons eſt malæ fidei, omniumque fraudum, quæ inter homines fiunt, cum minime conſentit cum corde loquentis, aliud quidem cogitando, aliud proferendo. Itaque dupliciter loqui res eſt non fovenda. *Ex tractatu quodam de pœnitentia.*

De veritate & mendacio.

Veritas, atque ſinceritas ab hominum commercio, & ſocietate exulant; quæ cauſa eſt, propter quam homines viciſſim ſibimet minime fidunt, & quilibet in omni negotiorum genere ſibi quam diligenter cavere conatur; quia ſine ullo metu, ac religione mortales mentiuntur, ac mentiendi habitum contrahunt; & nihilominus norunt omnes, & ne unus quidem ambigit, quodlibet mendacium peccatum eſſe, & ſecundum Scripturæ oracula, animæ mortem inferre. S. Auguſtinus duobus libris, quos hujus argumenti edidit, ſcripturarum auctoritate, validiſque rationibus oſtendit, numquam fas eſſe pro quacumque cauſa mentiri, licet etiam de fratris temporali vita ageretur, immo licet de animæ ſalute res eſſet, niſi aliter quam per mendacium prohiberi poſſet, ne in infernum prorueret. Cumque illi objecta fuerint quædam ex ſcripturis exempla eorum virorum, qui graviſſimis acti neceſſitatibus mentiti ſunt, atque laudem ideo conſecuti; reſpondet exempla hæc non eſſe imitanda, & falli eos, qui ad alios fallendos eadem proponunt. *Moralis Chriſtiana in Pater l. 3. ſect. 4. art. 3.*

Dolus, & ſimulatio ſunt ſecundum ſæculi genium.

Si ſæculi genium rite perpendimus, patet hunc non alium eſſe, quam fraudem, qua alii alios decipere ſatagunt; illi tamen ſpecioſum, honeſtumque nomen inducitur, & vulgo prudentia, & politia vocatur, cujus fundamentum eſt deteſtabile illud nuperi Auctoris placitum, qui noviſſimis hiſce ſæculis ejus præcepta conſcripſit; utile eſſe, virtutis ſpeciem tantum acquirere, quia inde fructus percipi poteſt; ſed virtutis praxim periculoſam eſſe, quia paſſim impedimento eſt, ne magni conatus atque negotia ex voto cedant. Hæc enim prudentia, reipſa, non aliud eſt quam humani cordis diſſimulatio, quod, ubi de ſua gloria, ac temporali agitur utilitate, in hoc unum ſuas cogitationes intendit, quomodo aliis fucum faciat; ac parum laborat, utrum ſeipſum decipiat in iis, quæ ad ſalutem ſuam pertinent, quam nullo habet in pretio. *Ibidem lib. 8. ſect. 4. art. 3.*

Rara inter homines ſinceritas.

Hodierna die ſinceritas a chriſtiana religione exul, atque extorris eſt; ſtultum putatur, animum ſuum promere, & fidem ſervare; qui diteſcere cupit, fortunarum ſuarum baſim, ac fundamentum habere debet verſutiam, & dolum. Hæc de cauſa officia ipſa quæ majorem ſapiunt urbanitatem, ſuſpicione vacare non debent viro prudenti. Qui ſe amicum ſimulat, non blanditur, niſi ut perdat, ſimilis latronibus, qui ſecus viam præſtolantur viatores, eoſque nimiis amplexibus jugulant. Non omnibus qui cum aliis conſueſcere gaudent, æque aperta indoles eſt; in centenario numero vix unum, alterumque reperies, qui ſeſe viciſſim non fallant, teterrimæ perfidiæ egregiam ſpeciem præſeferunt; atque familiaritas ac neceſſitudo, quam alicui profitentur mortales, tutior via eſt, qua imbecilliorem illius partem explorare, ejuſque ſimplicitatem decipere valeant, officia, quæ amicitiæ proteſtatio, ac operæ promiſſio comitantur, præſtigia ſunt, coguntque eum credere, quod externa blandimenta ſint internæ fidelitatis imagines. Infideles animæ hominem, cum adeſt, laudibus cumulant, cum abeſt, illum calumniis proſcindunt; eodem ore frigidum, calidumque emittunt halitum, ne ſæpe abſcindere vellent dexteram, quam reverentiæ cauſa deoſculati ſunt. *Liber cui titulus*, la Conduite des Illuſtres.

Doloſi ſerius ocyus, & ipſi dolis capiuntur ac fraudis ſuæ pœnas luunt.

Salomon Prov. 12. ait, veteratorem nullum umquam ex fraudibus ſuis fructum eſſe percepturum: *Non inveniet fraudulentes lucrum.* Eſto quidem, aliquandiu felices exitus illius votis reſpondeant; finis illius ſemper tragicus erit, quia malorum ejus maximum erit excidium animæ, cujus inæſtimabile coram Deo pretium eſt, quando quidem ad eam redimendam Jeſus Chriſtus ſuum cruorem effudit. Huic jacturæ accidit altera; quia fraudulenti & ipſi fraudibus capiuntur, & incidunt in foveam, quam aliis fecerunt, ut Regius loquitur Propheta. *Incidit in foveam quam facit.* Pſalm. 7.

Inventus ſimulationibus minus obnoxia eſt, ſed facilius decipitur.

Scio equidem, juvenes minus deditos eſſe fraudibus; verum ipſi facilius fraudibus patent; nondum enim illos docuit experientia. Sodalitatum ſuavitas perſuadere poteſt adoleſcenti officioſa aulici alicujus verba ſinceri cordis eſſe argumenta; ejuſque credulitas illum coget ſuum aperire cor ei, qui ideo familiaritatem ejus inquirit, ut aliquam referat utilitatem. Ita propter prudentiæ defectum neceſſitudinem inibit cum tenebrione; ac fiet omnium dolorum ejus ſcopus. *Idem.*

De chriſtiana, & Evangelica ſinceritate.

Nulla concipi poteſt Evangelicæ ſimplicitatis, qua invicem fideles uti debent, ſublimior idea, quam quæ nobis a Jeſu Chriſto per hæc verba proponitur; *Sit ſermo veſter, eſt eſt: non non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Ubi aliquid affirmare volueris, dixiſſe ſufficiat, eſt, non eſt: quidquid enim præterea adjicies, malum erit; hoc enim conſilio omnem aufert ſermonem contentionis, rixæ, mendacii, atque verſutiæ. Chriſtiana ſimplicitas non ſolum ſemper regere debet noſtram converſationem; verum etiam omnem agendi rationem cum proximo; eaque in omne vitæ noſtræ corpus ſeſe debet effundere. Ita primi fideles vivebant &c. *Eſſais de ſermons pro decima quarta poſt Pentecoſten Dominica.*

Signa, ex quibus ſpiritus rectus cognoſcitur.

Si notas inquiritis ex quibus agnoſci poſſit ſpiritus rectus, ac ab illo diſtingui, qui eidem oppoſitus eſt: dicam, ſpiritus rectus recta incedit ad Deum, ac unum illud reſpicit; non aliud quærit, niſi ut eidem placeat, quomodocumque cætera ceſſerint. Spiritus duplex

duplex e contra, ſemper, quæ ſua ſunt, proſequitur. ſuis tantum negotiis cavet; & quodcumque erga alios benevolentiæ præbeat argumentum, non aliud cogitat, niſi creſcere; exiſtimationem, nominiſque ſui famam tueri, fortunam ſuam longius provehere, & quidquid ſuis conſiliis adverſatur, evertere. Hinc ſpiritus rectus ſemper comitem habet ſimplicitatem, videlicet quamdam diſpoſitionem, quæ procul arcet quodlibet genus immixtionis, & varietatis. Spiritus mundi e contra ſpiritus eſt duplicitatis, in iis, quæ operatur, duplicem ſemper habet intentionem, quarum alteram in imis animæ latebris, alteram extrinſecus gerit. *P. Poire in ſcientia Sanctorum.*

Doloſi, dupliciſque hominis character.

Spiritus duplex, atque verſutus nihil intentatum relinquit, ut ſeipſum tegat, ne talis, qualis eſt, videatur. Cum enim nihil niſi propter cupiditatem efficiat, omnia illius conſilia abjecta, & vilia ſint, pudet illum, ea declarare, nec patitur illa ab aliis internoſci. Hac de cauſa ſeipſum, quoad fieri poteſt, celat, ſpecioſam induit perſonam, & laudabile aliquod conſilium præſefert; ita ut vere dici queat omnem illius vitam mimicam actionem eſſe, aſſiduamque illuſionem. Sexcentis verſutiæ artibus abundat; ſexcentas habet ſimulationes, ut conſiliis ſuis aliquem colorem appingat, verumtamen ſemper trepidans, ne detegantur. Ideo ſimilis eſt adulterinæ monetæ cuſoribus, qui ſemper in tenebricoſis locis deliteſcunt, & latebras quærunt. Spiritus rectus e contra ſpiritus eſt lucis, qui lumen diligit, & nihil noctis beneficio celare ſtudet. Qualis eſt, talis videri vult, & quod ore præſefert, hoc corde gerit. Hæc illa ſuaviſſima ſimplicitas eſt, quam in pueris diligimus, quam etiam atque etiam Salvator commendavit, & quam moribus noſtris exprimi tantopere S. Petrus concupivit. *Idem.*

Aliud diſcrimen ſpiritus recti a ſpiritu doloſo.

Spiritus rectus nihilominus hæret in electione mediorum, quibus utitur, quam in finis perquiſitione. Quidquid obliquum eſt, & nonniſi per ambages ad exitum ducit; quidquid ſtudium, & amorem proprium ſapit, apud illum ſuſpicione non vacat. Idem lumen, quod illi detegit finem, quem ſequi debet, oſtendit illi quoque media, ut illum aſſequatur, adhibenda, & non electio, minus, quam intentio illius ab omni abhorret cupiditate. E contra vero mundi ſpiritus nihil inauſum relinquit ut ad ſuos fines perveniat, & ſacra profanis, terras cœlis, religionem avaritiæ, quæ proprie illius divinitas eſt, commiſcet. In eadem ara Dagonem, Fœderiſque arcam conſtituit; modum invenit, quo mundum cum Deo conſociet, eorum principia, atque placita conciliet, & utrique ſive ſimul, ſive alternis inſerviat; ubique invenit temperamentum, & nihil adeo remotum eſt, quod non conjungat, & quod ſimul ſe non ſperet compoſiturum. *Idem.*

Spiritus rectus nihil turpe operatur.

Spiritus, & cor rectum ſemper eſt nobile, & generoſum. Licet de totius mundi interitu ageretur, nihil turpe, vel indignum auderet, neque aggrederetur aliquid, quod cordis indignitatem redoleret, neſcit, quid ſit a recta deflectere, ubi agitur de veritate, neque timorem novit, ubi ſuis non defuit officiis, neque applaudere didicit poteſtati, quæ caret æquitate. Adulationem deteſtatur tamquam virtutis inimicam, tamquam humanæ ſocietatis virus, & tamquam abjecti, & ſervilis animi argumentum. Spiritus duplex e contra modo in hanc, modo in alteram partem deflectit: & nihil eſt, quod non audeat, ut placeat; dicit, dicta retractat; laudat, quod vituperavit: quod laudavit, vituperat: omnem opinionem amplectitur, dummodo aliis jucundior ſit, vel ſibi utilior; hæc res illum mobilem facit, & libramentum addit iis, quæ damnat, & approbat. *Idem.*

De falſa prudentia.

Politia, & humana prudentia fraudibus tantum, atque dolis innititur, & quemadmodum ſæpe ſuæ ſtudet utilitati, ita fere ſemper injuſta eſt. Verſutia illi adeo ingenita eſt, ut omnia ejus conſilia eadem imbuta ſint. Probat calliditatem, quæ ſibi prodeſt; & quoniam leges belli ſinunt, hoſtes & vi, & dolo ſuperari, putat ſe poſſe hac uti ratione cum omnibus hominibus, & ſatis eſſe, alterius æmulum eſſe, ut ſit inimicus. Nequitiam ſuam in omne mundi commercium effundit; ſive privati jurgia ſua litibus dirimant, ſive mercatores cum alienigenis negotientur; ſeu Principes per legatos ſimul agant, prudentia in ſui tutelam verſutiam vocat, atque in omnibus hiſce muneribus, qui melius decipere didicit, hic prudentior habetur. Ita calliditas ſæpe cum prudentia confunditur; & qui cœleſti lumine non reguntur, prudentes eſſe non poſſunt, niſi fiant veteratores. *P. Senault, in homine Criminoſo, ſermone quinto.*

Simplicitati comes ſemper eſſe debet prudentia.

Cum Dei filius ſuos erudit diſcipulos, numquam illis ſuadet, ut ſerpentis prudentiam imitentur, quominus velit eos columbæ prudentiam imitari; ſimplicitas enim ſine prudentia in inſipientiam converteretur, & prudentia ſine ſimplicitate in nequitiam. Tertullianus huic alludens loco dicebat, ſi optio ſibi daretur, ſe columbæ ſimplicitatem prælaturum ſerpentis prudentiæ; & niſi evitare poſſet duo mala, quæ duas haſce virtutes comitantur, optaturum potius ſimplicem ruſticitatem, quam prudentem verſutiam. *Idem.*

Ubique ſimulatio, & verſutia nobis occurrunt.

Videtur mundus in ſimulationum theatrum converſus, ubi vix, & ne vix quidem veritas dignoſci poteſt, tot illi perſonæ inducuntur. Diceres, terræ naturam fuiſſe immutatam & factam mare, ubi ſimplices ſunt veluti reptilia callidiorum præda. Hæc ſententia eſt prophetæ dicentis Deo; numquid, Domine, mortales tamquam ſimplices piſces effeciſti? dolus ubique laqueos tetendit, & retia ad illos capiendos. *P. Cauſſinus in Aula Sancta.*

Honeſtus homo debet eſſe ſincerus.

Honeſtus homo hanc ſibi legem irrogare debet, ut nihil dicat umquam niſi quod cogitat, nihilque in vita fictum, ac diſſimulatum præſeferat. Si neminem vis fallere, cur tot ambagibus uteris? Naturaliter loquere, ſimiliter operare. Ars, ſimulatio, verſutia honeſtæ non ſunt, & cordis nequitiam oſtendunt. Si ſinceritas abſit, mundus deferendus eſt; ſine hac civilis ſocietas eſt latrocinium, nihil non intentatum relinquitur, ut ſopor illis inducatur, cum quibus res eſt, & ut decipiantur. In hac agendi ratione neſcio quid turpitudinis ineſt; qui honeſtos fovet ſenſus, animo fraudes fovere non poteſt. *Abbas de Bellegarde in conſiderationibus de morum concinnitate.*

Levia quoque mendacia fugienda ſunt.

Non deſunt plurimi, qui ea damnant mendacia, quæ proximo aliquod inferunt detrimentum, & quæ pernicioſa vocantur: verum pauci ſunt qui vituperant, vel potius qui cum voluptate non proferant ea mendacia, quæ nemini afferunt injuriam, & quæ ad oblectationem dumtaxat effutiunt. At ne unus quidem eſt, qui non ſolum condemnet, verum etiam non laudet illa, quæ tantum abeſt, quod proximo inferant damnum, ut immo illum maxima afficiant utilitate. Attamen æterna veritas hæc non diſtinguit, & generaliter omnes, qui mentiuntur, condemnat: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Pſalm. 5. *Pater le Jeune ſermone de Mendacio.*

Primorum temporum probitas, & ſinceritas.

Adeo ſancta erat illis temporibus fides, ut falli poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, ceteros de ſuo affectu æſtimantibus? & quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quid ſit ignorant: libenter credunt quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere, quod non ſunt. Hinc Salomon ait; *Innocens credit omni verbo.* Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocentem eſſe, ignorare, quod noceat: & ſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene judicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur. *S. Ambroſius de Officiis lib. 3. cap. 10.*

Chriſtianæ ſimplicitatis character.

Hæc ſinceritas, quam ſimplicitatem vocat Evangelium, non quærit abditas, obliquaſque vias, ut ad ſuos fines perveniat; ſed tuto incedit, quin vereatur, ſemper tamen prudentiam ſapientis cum columbæ ſimplicitate conjungens; ſcit enim ſine ſimplicitate prudentiam in improbitatem, ſimplicitatem vero ſine prudentia degenerare in imbecillitatem; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 16. effatum: *Volo vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices autem in malo*, videlicet volo, prudentiam prohibere, ne decipiamini, quemadmodum ſimplicitas prohibet, ne decipiatis. *P. Dozenne ſermone primo de Jeſu Chriſto Divinitate.*

Mala quæ accidunt mendacio.

Virtutis, & veritatis inimicus ex omnibus vitiis, in quæ homines conatur impellere, potiſſimum eligit mendacium, cujus merito pater vocatur. Novit ille hoc aptiſſimum eſſe inſtrumentum ad hoc, ut alia quælibet ſcelera committantur, atque celentur. Mendacium profecto homines fallit affirmando quod falſum eſt, & audacter negando quod verum eſt; juſtitiam decipit, corrumpit innocentiam, credulis imponit, innocentes inſimulat, nocentes excuſat, ac ſexcenta alia committit flagitia, quæ Deus perhorreſcit. Hoc etiam vitio dæmon utitur ut ſerat diſcordias, turbas, & diſſenſiones in familiis, ut lites, ac ſimultates excitet inter conſanguineos, & neceſſarios, ut plurimæ fraudes, doli, injuſtitiæ, perjuria fiant a mercatoribus, & opibus malæ fidei; ut fictis teſtimoniis judiciorum rectitudinem prohibeant. *Liber cui titulus, Bellum vitiis.*

Mendacia & fraudes charitati chriſtianæ adverſantur.

S. Paulus in prima, quam ad Epheſios ſcribit, Epiſtola, poſtquam dixit opus eſſe, ut veterem exuant hominem, ac novum induant, addit ſpiritalem hanc renovationem ex linguæ reformatione eſſe incipiendam: *Propter quod deponentes mendacium*, ait ille, *loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra.* S. Chryſoſtomus rationem hanc ponderat, eamque præſentiſſimam putat, ad oſtendendum, quo candore, qua ſimplicitate fideles ſeſe viciſſim complecti, & quanam ſinceritate debeant operari. Corporis noſtri membra, Pater hic ait, ſeſe ultro citroque minime fallunt, ſi oculus videt anguem, vel præcipitem locum, non decipit pedem, ſed monet illum, ne progrediatur. Ita cum fideles ejuſdem corporis membra ſint, dolum, & mendacium perhorreſcere debent, ac fratres ſuos eodem amore, & ſinceritate proſequi, qua ſeipſos diligunt; nihil enim profecto magis ſimultates, & inimicitias parit, & fovet, nihil magis charitatem evertit, quam mendacium, & dolus. *Ex Morali Chriſtiana in Pater l. 3. ſect. 4. art. 6.*

De verſutia generatim.

Ex ea ratione, qua inter ſe vivunt homines, in hoc omnem induſtriam, laboremque ſuum collocare videntur, ut ſeſe mutuo decipiant: mundus hodierna die adeo verſutus eſt, ſæpe fabula fit, qui bona fide operatur, & quamvis aliter animus, ingeniumque ferat, cogimur nonnumquam ſenſus noſtros celare ad inſidias, quæ nobis ſtruuntur evitandas. Attamen calliditas ex honeſtorum hominum commercio eſſet proſcribenda, tamquam virtus æquivoca vitium inter, & virtutem fluctuans, ſed quæ plerumque ſenſus obliquat, & probitatem corrumpit: præſertim vero cum nobis res eſt cum parum religioſis hominibus, & qui fraudibus uti conſueverunt. Vis vi, dolo dolus eluditur, verum hæc agendi ratio non ſatis probatur.... Nullus locus eſt, ubi bona fides ſit diligentius ſervanda, quam in ludo. Non levis tentatio eſt plurimam lucrari poſſe pecuniam, arte ſua utendo: honeſtiſſimi viri, & qui aliis quibuſque in rebus plurimum rectitudinis, & probitatis præſeferunt, non ſemper hanc tentationem eludunt, neque illi reſiſtunt. Verum cur ſe periculo objiciunt? Honeſtus vir, cui conſcientia ſua fraudem exprobrat, hanccinne ſibi dimittere poteſt? *Abbas de Bellegarde in præceptis ad ſocietatem ſpectantibus.*

Verſuti homines numquam honeſti poſſunt haberi.

Qui verſutus habetur, in civili ſocietate numquam honeſtus homo cenſeri poteſt; nihil adeo turpe, quam ſibimetipſi mentiri; id affirmando, quod in mente non eſt, ac ſermonibus ſuis mentem ipſam impugnando. Mortales, de quibus non temere hæc perfidiæ ſuſpicio percrebuit, non contemnimus tantum, ſed odimus; ita enim evertunt eſſentiale principium neceſſitudinis, quam conjungere poſſumus. Veremur, ne eorum ſermonibus decipiamur, neque hoc nos in periculo verſari exiſtimare poſſumus, quin illud oderimus, a quo huc nos adactos cognoſcimus. Nobis imponens rudem exprobrat nobis ſimplicitatem, contemnendam imbecillitatem, modicum acumen, modicamque ſapientiam, quæ agendi ratio cordatum virum, optimoſque ſenſus foventem offendit. Immo ipſæ etiam vulgares animæ contra adeo injuſtæ humiliationis auctorem ſuccenſet. *Liber cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicaque argumenta. Tomo 2.*

De Chriſtiana, & Evangelica ſimplicitate.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Matth. 5. Quamvis pauperes ſpiritu intelligantur illi, qui corde, & affectu a terrenis rebus expediti ſunt, his tamen verbis alia appingi poteſt explicatio, cui non minus ſanctitatis inſit, atque ædificationis. Pauperes ſpiritu ſunt homines ſimplices, qui mortalium contemptus objectum eſſe videntur; hæc ſimplicitas quædam eſt cordis affectio, quam omnes perhorreſcunt; quamvis ſancta ſit, & quamvis Salvator illam hominibus etiam, atque etiam commendaverit, omnes tamen illam equis, atque quadrigis fugiunt. Qua in re eo procedit inſania, ut plerique impudicos, blaſphemoſque mallent, quam ſimplices exiſtimari. Hic benedictionis character nemini placet; & quamvis Jeſus Chriſtus docuerit, per hunc illos dignoſci, qui ad ipſum pertinent, ab alienis; veritas hæc hyperbolica creditur exaggeratio, quæ neminem movet, vel perſuadet. Ille ſimplex eſt, qui integer eſt, ſceleriſque purus, qui omni ſuſpicione vacuus eſt, qui chriſtianas virtutes vel tenet, vel acquirere ſtudet; qui æquo inceſſu graditur, & ſine ulla affectatione in virtutum praxi; & qui ita nullo habet in diſcrimine laudem, probrumque, ut æque jucundi illi ſint & ii, a quibus probatur, & ii, a quibus corripitur. *Abbas Trappenſis in Moralibus Conſiderationibus in S. Matthæum.*

Quid ſit parvulorum ſimplicitas hodie ignoratur; ubique fraus, ubique verſutia eſt.

Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum. Joan. 15. Ubinam ſervatur præceptum iſtud, quo ſicut parvuli fieri jubemur? quonam in ſtatu, vel qua in conditione videtur, qui illius meminerit, vel qui illud adimplere contendat? Dicamus e contra, ubique prorſus oppoſita placita ſervari; neminem eſſe qui illud non oderit, non perhorreſcat, non putet dedecus, veramque contumeliam officia, quæ in eo continentur. Parvuli iſti, quos nobis Dei filius proponit, innocentes ſunt ſine dolo, ſine fraude, ſine verſutia, ſine nequitia; non mundum, non vanitatem, non opes diligunt. Quamvis ita affectus eſſe debeat fidelis, neque vere fidelis ſit, in quibus hæc qualitas deſideretur: attamen nullibi deprehenditur, nullibi invenitur, atque variæ hominum conditiones perfectiſſimam hac in re ſervare videntur conformitatem. Eccleſiaſtica, quæ præ ceteris religioſiſſima eſſe deberet, hac in re neque diligentior ulla eſt, neque fidelior. Qui primos obtinent gradus mundi ſapientiam ſecuti ſimplicitatem hanc tantopere commendatam contemnunt. Cor eorum eſt duplex; quod cogitant, doloſis contegunt verbis; mendacio quamdam veritatis ſpeciem inducunt, & veritatem pro mendacio volunt haberi. *Idem in Conſiderationibus in S. Lucam.*

Doli, quibus plerique homines utuntur, ut ſe invicem fallant.

Quiſnam exprimere poſſet dolos, & fraudes, quibus hominum plerique utuntur, ut ſe invicem fallant? *Vani filii hominum, mendaces filii hominum, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Pſal. 64. Fingunt, comminiſcuntur, ſimulant, nihilque inauſum relinquunt, ubi de ſua agitur utilitate; omniaque illi bona videntur, dummodo ſint cum eorum quæſtu conjuncta. Cauſa vero, propter quam hæc agendi ratio licet injuſta plurimos habeat ſectatores, hæc eſt, quia nihil ferme ſupereſt charitatis; quilibet reſpicit, & inquirit quod ſuum eſt, neque religioni ſibi vertit, creſcere cum proximi detrimento. *Idem.*

MISERICORDIA DEI.

Confidentia in hac Miſericordia, Præſumptio Miſericordiæ; Diffidentia, & deſperatio &c.

MONITUM.

DEI Miſericordia ex iis eſt argumentis, de quibus in omnibus fere concionibus incidit ſermo: ideoque nimis late pateret, niſi ad finem, præcipuumque divinæ miſericordiæ coarctaretur effectum, videlicet ad peccatorum ſalutem, & converſionem; & quemadmodum miſericordia in hoc præſertim elucet, quod illos prævenit, & inquirit, urget, ac ſollicitat, ut revertantur ad Deum, illos clementer recipit, cum gaudio illis ſæviſſimas quaslibet remittit injurias, quibus Deus affectus fuit, eoſque in hujus amicitia, & eo jure, a quo per ſcelus exciderant, reſtituit, nec non gratiis, & favoribus cumulat; ita in hoc potiſſimum immorabimur, quin de aliis verba faciamus beneficiis, quæ totidem ſunt apertiſſima ejuſdem miſericordiæ argumenta, & effectus.

Illud ſolum notandum eſt, ut hoc argumentum oratorie tractetur, 1. Nequaquam in eo concionem omnem verti debere, ut ſublimis adſtruatur divinæ hujus perfectionis idea, quin conſideretur, quatenus refertur ad homines, qui præcipuum ſunt miſericordiæ hujus objectum. 2. Auditores non ita excitandos, ut in illa confidant, quin ſimul oſtendatur communis peccatorum abuſus, qui temeraria præſumptione in ſceleribus volutantur ſperantes ſe facile eorum veniam conſecuturos. 3. Quemadmodum vera confidentia in Dei miſericordia ſua eſt inter extrema duo æque periculoſa, & metuenda, alterum quidem per exceſſum, quæ præſumptio eſt, alterum vero per defectum, quæ eſt deſperatio: tale ſervandum eſt temperamentum, ut peccator, in miſericordia confidens, numquam juſtitiæ timorem amittat.

Denique cum hoc argumentum nimis late vagetur, cavendum eſt, ne cum aliis confundatur, quæ cum hoc aliquam rationem habere videntur, qualia ſunt confidentia in Deum pro vitæ hujus neceſſitatibus, diſtributio gratiarum Dei,